SAMMELHANDSCHRIFT

Entstehungsort unbestimmt (u. a. Neustift), 15. Jh.

Seite 40r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35497
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



illuc descendat ut metuendo euadat. Audiat et cogitet
quod ibi sit miseris mors sine morte, finis sine fine, de-
fectus sine defectu, quia mors viuit et finis semper inci-
pit et deficere defectus nescit. Mors perimit et non extinguit.
Dolor cruciat sed nullatenus pauorem fugat. Flamma com-
burit sed nequaquam tenebras discutit. Ubi ignis ad consolacio-
nem non lucet, sed tamen ut magis torqueat aliquid lucet, nam
sequaces suos secum in tormento videbunt reprobi flamma
illustrante, visuri sint quorum amore deliquerunt, quatenus quorum
vitam carnaliter contra precepta conditoris amaue-
runt, eorum quoque interitus eos in augmentum sue dampnacionis
affligit. Hec meditare et recordare Christi deuote ut in e-
ternum de singularis et gaudiis celi repleamus et copuleris.
Sic meditari de gloria beatorum angelorum et sanctarum animarum in deo
copulatiua est ipsi deo et domino nostro copulari. Tales me-
ditaciones copulatiuas ita sepius in cordibus vestris
disponatis et nichil nisi gaudium et desiderium conditoris
foueatis et ipsum quantum possibile est viatoribus ametis. Ad hanc ad
meditacionem copulatiuam nemo peruenit nisi qui multum
in precedentibus meditacionibus exercitatus est. Est autem illa ex-
cellencior et maxime verorum contemplatiuorum ad amorem dei-
tatis suauem efficit. Hunc amorem nobis concedat animarum et
corporum amator dominus noster Ihesus Christus. Amen. // Particula
2a que accidit meditacioni est auiditas, et quod per desiderium
anima sancta ad meditacionem supernorum summe anhelat.

Auiditas est quando videlicet deuotus semper cupit cum super-
dicta suauitate versari, ita quod nichil eum reficere pos-
sit nisi eum quem amat possideat perfecte propter visum glorie
quem meditando iam prespexit. Et quia in presenti non potest atti-
gere, egreditur supra se clamans et dicens cum psalmista: Sicut